

ipse persone, & quelibet earum, & cujuslibet ipsarum heredes, & causam, & titulum ab eis habentes sine aliqua exceptione teneantur, & debeant solvere impositiones, & fodra imponenda in Aquis per Magistratus, & cives ejusdem Civitatis, & alia onera realia in dicta Civitate agnoscere pro modo summe registri, ad quod dicte persone in Aquis presentialiter registrate, & posite pro modo terrarum, & possessionum pro quibus, & de quibus in dicta civitate Aquis dicte persone onera realia in Aquis longo tempore solite fuerunt agnoscere. Non tamen per hanc nostram definitionem intendimus terras predictarum personarum Alicis in registro Aquis, ut premittitur registratas, esse, seu esse censerī posse territorium, aut jurisdictionem civitatis Aquis, immo intelligantur omnino, & esse debeant in posse territorio, & jurisdictione Alicis. Verum quia est nostre intentionis, quod persone predictae Alicis, & eorum heredes, & descendentes, & causam ab eis habentes omni dolo remoto de cetero solvant in integrum dicta fodra in Aquis, & munera realia agnoscant &c. ideo pronunciamus quod Dominus Castellanus Alicis, & Consules, & Rectores Alicis debeant dictas personas compellere, ut vadant, vel mittant in terminis congruis ad solvendum fodra, & alias impositiones in Aquis, & si fortassis contingeret solutionem per dictas personas de Alice, sive heredes earum, aut causam habentes dimitterent ne dicta universitas detrimentum patiatur largimur, ut possit ad bona personarum de Alice in Aquis registro registrata recursum habere & ne dicte partes de Alice videantur portare moleste de dictis possessionibus in posse Alicis situatis agnoscere munera in Aquis Ideo laudamus, quod universitas Aquis, si, & quando per universitatem Alicis, vel per ejus Syndicum requisita fuerit, quod teneatur, & debeat detrahere, & decalare de registro, & summa registri Curie Aquis terras, & possessiones predictorum de Alice in posse Alicis, ut premittitur existentes, dum tamen & si persone de Alice, quorum terre fuerint, ut premittitur in dicto registro Aquis decalate, reperiantur habere super jurisdictione Aquensi terras, & possessiones, & res equivalentes dictis terris, & possessionibus decalatis; adjicientes, quod ipse res, terre &c. ascribantur, & ponantur in registro Aquis in scontrum, & cambium possessionum decalatarum. Qui valor, & equivalentia possessionum ponendarum in scontrum committatur duobus bonis viris communibus a qualibet dictarum Communitatum eligendis, & deputandis fideliter, qui existimationem faciant cum sacramento &c. quorum taxationi stetur in predictis & si alique alie persone Aquis aliqua bona teneant de quibus in Aquis solvere 60 fodra non fuit consuetum, quod ille fodra solvere non debeant eodem modo dicimus Quod Antonius

Bessurius, vel unusquisque alius concivis de Aquis, sive aliunde habens bona in posse Alicis pro quibus longo tempore consuetum non fuit fodra solvi non possint astringi ullo modo pro parte universitatis Alicis ad solvendum illic aliqua fodra &c. Insuper quia per universitatem Aquis petebatur a dictis personis de Alice in registro Aquis registratis, ut varias, & plurimas fodrorum, & talearum impositiones temporibus preteritis impositas solverent per hanc sententiam liberaliter absolvimus, & a dictorum preteritorum fodrorum solutione pro dicto tempore absolutas esse volumus, addentes quod a tempore citra hoc est a die XV. junii anni MCCCLXXX. dictas personas ad solvendum taleas &c. a dicto tempore futurisque temporibus imponendas in civitate predicta astringimus Verum quia equum, & justum nobis visum fuit, & esse juri, & equitati consonum, ut, qui sentiunt onera, debeant sentire, & commoda disponimus, quod ille persone onerate &c. valeant impune super posse, & jurisdictione Aquis bestias paschari, arborari, herbam colligere, & deinde portare.

Acta, & lata sententia presente egregio viro Domino Gulielmo de Cochastello ex Dominis Montilii honorabili Castellano dicte Civitatis, circumsperto viro Domino Nicolino Barberio de Tridino milite, & locum tenente egregii viri Domini Francisci de Montilio honorabili Potestate Aquis, Domino Presbitero Bartholomeo de Porta, & Domino Johanne de la Mota habitatore Aquis. In civitate Aquis scilicet in palatio dicte Civitatis currentibus annis MCCCLXXXIII., indictione VI., die XXI. marcii Ego Johannes Bascheria Aquensis civis publicus imperiali auctoritate Notarius &c.

Privilegia, & immunitates concessæ ab Alberto de Guttuariis Abbate Monasterii S. Juliae popularibus sibi subditis. Ex Tabul. M.M. de Ruere.

MCCCLXXXIII.

79

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXXXIII., prima indictione, die duodecima mensis madii. Actum in monasterio sancte Julie in Ecclesia, seu plateale, ubi antiquitus fundata erat Ecclesia sancte Julie presentibus egregio viro Domino Antonio, cui dicitur Ghisa de Carreto, Francisco ejus nato, Petro Paulo de Carlevariis, & Bertramo Turris de Aquis testibus vocatis, & rogatis, quorum presentia, & mei Notarii infrascripti. Cum universitas persone, & homines monasterii sancte Julie memorate imminentibus gueris, & multiplicibus aliis rationibus sint ad presens, ac longo tempore steterint paupertate gravati; adeo quod nisi provisi gratia clementia, & pietate infrascripti, & Reverendi Patris, & Domini fratris Alberti de Guttuariis Dei gratia Abbatis monasterii prelibati propter resignationem dicte Abbacie dicto Domino fratri Alberto factam per Reverendum Do-